

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Variolarvm Pernicie In Hypochondriacis Observanda

Juncker, Johann

Halæ Magdebvrgicæ, [1732?]

VD18 90813529

Caput Primum. De Causis Generalibus Exitus Variolarum Pernicialis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198288

hæc vitia infitis & plantatis variolis æque impedimento erunt, quam quidem iis, quas natura simpliciter produxit. Quid autem interea agendum sit Medico, quando eiusmodi obstacula per dispositionem indiuidualem variolis obiiciuntur, res est dignioris considerationis. Nos in hac dissertatione de illa tantum difficultate dicemus, quam in *variolosis Hypochondriacis* obseruamus. Cumque de hac speciali obseruatione, quoad eius resciscere potuimus, ne quidquam apud plures illos auctores, qui de variolis scripserunt, monitum commendatumque reperiatur: operæ pretium duximus, eandem pro themate hic explicando eligere, atque in rei medicæ commodum interpretari. Vt vero de hac obseruatione distinctius agere possimus, capite primo causas generales pernicialis variolarum exitus perlustrabimus, altero autem specialiores in *Hypochondriacis* rationes euoluemus, & tertio denique therapeuticas considerationes explicabimus. Faxit Deus, ut de hac materia, quæ multis eximium terrorem incutit, in multorum salutem exponere valeamus!

CAPVT PRIMVM.

DE

CAVSIS GENERALIBVS EXITVS
VARIOLARVM PERNICIALIS.

§. I.

DE variolarum pernicie in *Hypochondriacis* acturi necessarium non putamus, vocis significatio-

tionem prolixius explicare; cum cuique Medicorum satis notum sit, perneciale in foro practico id vocari, quod vel ingens damnum vel lethalem prorsus eventum corpori nostro adfert. Itaque paucis tantum monemus, eo abire sensum & intentionem, ut in hac dissertatione causas perlustremus, cur variolæ, teste experientia, in Hypochondriacis ut plurimum sint periculosæ, & multos passim extinguant? Hunc in finem primo hoc capite explicandæ erunt causæ generaliores, quæ variolarum felicem cursum pervertere, & hunc morbum, qui præ aliis acutis malignis plerumque mitissimus est, periculosum immo lethalem reddere soleant.

§. II.

Per genus humanum notissimum est, quod variolæ alio tempore sint *benignæ*, alio *malignæ* & *perneciales*. Neque minus constat, hunc morbum vno eodemque tempore immo una & eadem familia aliis esse felicem, aliis autem lethalem. Jam si in causas diuersi huius euentus inquiramus, quid vtitius est, quam differentem malignitatis *gradum* a doctis accusari? Neque hoc adfertur, si sano ac genuino sensu accipiatur, vilo modo negari potest. Verum enim vero si consideremus, alios e *summe malignis* & *pestilentibus* febribus feliciter euadere, alios autem per morbos, qui manifesto *inferioris* sunt malignitatis, e. g. febres catarrhales malignas, variolas, morbillos sæpius auerri: tum sane ex hisce phænomenis certissime possumus concludere, quod *res* malignum si *materialiter* tantum & *gradibus* suis *differentibus* consideretur, hæc dubia resolvere nequeat. Multo minus

nus autem abstractissimus ille conceptus, qui sublimis plane causas hic proferre sibi videtur, & iam *peruersionem motus a linea*, iam *interceptionem spirituum*, iam *obliquos & irregulares illorum motus*, hasce tenebras clariori luci reddere poterit.

§. III.

Qua de causa, ad planiorem huius rei conceptum & difficultatis explicationem, necessarium erit, de malignitate in *concreto* exponere, id est *motus*, qui *materiali huic noxæ* per singula subiecta & indiuidua opponuntur, simul considerare, hacque ratione charybdim illam euitare, in quam plures, post *Sylvianam* præcipue periodum, incidendo multas confusiones & causarum fallacias commiserunt. Illud autem *malignum* seu *mali moris* vocamus, quod, secundum *Illustr. STAHLIVM dissertat. de indole malignitatis*, talis est conditionis & efficacix, vt *damnum* vix superabile corpori nostro inferat, eoque ipso a tramite seu moribus, æconomix humanæ familiaribus, damnabili peruicacia recedat, ac ordinatus successus & euentus præpediatur, insolitaque energia ad corporis detrimentum inducatur.

§. IV.

Præmissa hac generali malignitatis descriptione ad speciales considerationes progredimur, & primum *materialem* illius indolem perspicendam curamus; deinde autem *effectus* seu *motus*, quos eiusmodi praua materia excitat, perlustrandos existimamus. Ad *materiam* quod attinet, illa maligna seu mali moris ac indolis ob duplicem præcipue rationem habenda est, videlicet ob *tenuitatem* suam atque

que *agilitatem*. *Tenuitas* illius & *exilis moles* non tantum efficit, ut cum corpore nostro per halitus formam communicari sed etiam sanguinis latifundium facile perreptare, & difficillime ex eo secerni & eliminari possit. *Agilitas* autem uti, consentiente schola medica, per *motum fermentescentem* commodissime explicatur: sic in hoc intestino motu constituta potens est, subtilissima sanguinis principia cum commovere, e reliqua mixtione dimovere, extenuare & eandem corruptelæ speciem cum iisdem ita communicare, ut hæc materialis constitutio, si sibi relinqueretur, exiguo sane tempore putredinem inferre & œconomiam animalem destruere posset.

§. V.

Quis hic non videt pessimam illam indolem & lethalem plane efficaciam, quam *materiæ* tribuimus? Nihilo tamen minus experientia docet, quod eiusmodi perniciales effectus ac euentus in ipsis adeo summe malignis non semper occurrant, sed materia illa maligna solitis modis & viis sæpius eliminetur, & ad statum tranquillum omnia reducantur. Quare sine oppositi formidine audacter adserere possumus, malignitatem *materialem*, licet summi gradus & pessimæ indolis sit, numquam per se in febribus malignis ita esse comparatam, ut superari absolute non possit, sed per necessitatem quamdam physicam mortem inferre debeat. Contrarium enim si verum esset, nemo sane a peste, quæ maximam fouet malignitatem, posset liberari. Vnde necesse est, ut ad genuinum malignitatis conceptum alterum illud addamus, quod *formalem* ipsius rationem absoluit. At-

B

que

que hoc in *motibus* illis *renitentibus*, quos natura materiæ prauæ superandæ opponit, & per quos plurimos omnino morbos expugnare solet, vnice querendum & collocandum est. Hi motus quando indoli materiali apprime respondent, & proportionate, assidue ac iusta moderatione, insuper provide quidem sed non trepide instituuntur & continuantur: tum materia maligna, cuiuscumque gradus sit, per liberas, expeditas, ordinatas euacuationes diaphnoicas & passim exanthematicas moderate eliminatur, & hac ratione omne periculum aufertur. Quod si vero hi motus per quoscumque *morales* respectus a iusto hoc tramite recedant, & deserendo *mediam* viam, quæ hic tutissima est, ad duas extremitates declinent: non possunt non euentum promouere periculosum ac lethalem.

§. VI.

Hoc intuitu in *motus anomalos*, & ad duo extrema excurrentes, maximam infelicitis euentus culpam reiciamus, & sicut *materialis* graduum differentia differentibus *speciebus* præcipue tribuenda est, & *essentiali* quadam malignitate pestem a febre petechiali, hanc vero a variolis & aliis malignis gradu inferioribus distinguit: ita anomalos & a regia via deflectentes *motus* causis indiuidualibus, *accidentalem* malignitatem efficientibus, præcipue adsignamus. Quando enim subiectum quoddam timidum, scrupulose pensitans & de futuris rebus anxie hærens in eiusmodi febrem malignam coniicitur: tum sane motus renitentes hisce moralibus constitutionibus ad amissum respondere, & insigni *defectu* peccare utpluri-

plurimum obseruamus. Eiusmodi enim subiecta uti hostes suos *morales* semper credunt fortiores & de felici rerum exitu facile spem amittunt : ita in *corporeis* periclitationibus iam per materiam maligniorem, iam per organa, materiæ subtilissimæ minus congruentia ita deterrentur, ut motibus plane trepidis, anxiis, vacillantibus & interruptis contra prauam materiam pugnent, eoque ipso hosti parum vel nihil detrahant. Quem effectum præcipue in peste, febre petechiali & purpura alba obseruamus. Ex contraria autem parte quando indiuiduum aliquod agile, & tam per corporis quam animi teneritudinem molestiis ferendis impar, ab acutis malignis corripitur, eundem motuum physicorum cum moralibus symbolismum animaduertere licebit. Occurrunt nempe motus vehementes, præcipientes, immaturi, inconstantes, modo hoc modo illud tentantes, nullibi autem ad optatum finem pertingentes. Id quod præprimis in variolis contingere solet.

§. VII.

Ex hisce considerationibus elucescit, quis sit verus malignitatis genius, quæ materialis indoles & formalis huius scenæ ratio. Vnde compendio quodam repetimus, omnem materiam malignam & posse & solere oppugnari per motus resistentes proportionatos & congruentes, per contrarios autem, nempe iam importunos iam deficientes vix ac ne vix minimum malignitatis gradum superari. Iam necesse erit, ut generales hæc contemplationes ad variolarum specialiore indolem adplicemus, &, quid in iisdem mali moris accusandum ac infelicitis euentus

causarum esse soleat, perspiciamus. Diximus iam in procemio, quod *essentialis* variolarum malignitas rarior sit, quam *accidentalis*, quod sane adsertum experientia abunde confirmatur. Hæc enim exanthemata quando sibi relinquuntur, neque calida remedia ac regimina adhibentur, exoptatum plerumque exitum sortiuntur, & quo temperatiores sunt motus expellentes, eo pauciores variolæ generantur ac protruduntur. Paucitas autem horum exanthematum rarissime pernitiem adfert; nisi quidem accidentales causæ accedant. Contra multitudo variolarum quo numerosior deprehenditur, eo maius periculum tempore maturationis accedere observatur. Qui enim inflammatorii motus indolem perspectam habet, is facile concipiet, quod in ducentis vel trecentis eiusmodi pustulis agilia principia longe facilius & felicius remoueri & inertiores illarum partes in pus laudabile converti possint, quam in duobus vel tribus millibus. Itaque hanc variolarum multitudinem & copiam pro principe infelicitis euentus causa iustissime accusamus.

§. VIII.

Vnde autem numerosus talis prouentus originem suam habeat, iam erit inquirendum. Non negamus, materialem miasmatis conditionem tributum suum aliquando hic soluere, & pro gradu agilitatis suæ plures vel pauciores sanguinis particulas, sibi similes, per motum suum fermentescens generare. Sed uti hoc in variolis rarius contingit: ita causarum accidentalium maiorem rationem habendam esse certissime nouimus, & propter ea potissimum